

non solum specie, sed etiam numero, et indivisibilis in sua substantia, et entitate, et consequenter in sua intrinseca bonitate, ut si quis uno motu voluntatis velit se gerere temperate in toto prandio, quantumvis diversis rebus constet, aut velit bona sua distribuere pauperibus etiamsi multiplicia sint, et clare, ac distincte sibi proposita: ratio vero sumenda est ex contrario fundamento oppositæ sententiæ: nam actus interior voluntatis non habet substantiam suam a materiali objecto voluntatis per se præcise, ac formaliter, sed habet unicam simplicem speciem ab objecto sub tali ratione formali intento: ergo ubi in objecto est eadem ratio formalis, erit in actibus eadem bonitas: conveniunt enim tales actus in bonitate, quæ convenientia non potest esse, nisi specifica, cum sumatur ex ultima differentia, et specifica ratione objecti, cumque ex objecto materiali, ut sic, nihil sumatur, in quo possint specie differre. Denique objectum formale ut sic, quasi contrahit materiale, et ideo sola materialis diversitas non sufficit ad distinctionem specificam bonitatis.

3. Neque contra hoc obstat conjectura superius adducta, quia in numerica distinctione potest esse latitudo, et major, aut minor convenientia, et similitudo inter ipsa individua, ut eodem argumento convinci potest, nam magis inter se disconveniunt bonitates sumptæ ex objectis materialibus solo numero differentibus, quam bonitates, quæ sunt in ordine ad idem objectum materiale numero in diversis actibus elicitis diversis temporibus, aut a diversis hominibus: et nihilominus certissimum est illam non esse differentiam specificam, et in aliis accidentibus respectivis id non reperitur.

4. Dico autem conclusionem intelligendam esse quando objectum formale est omnino idem respectu omnium materialium: nam si aliquo modo varietur, vel in se, vel in modo (ut sic dicam) informandi objectum materiale, poterit sufficere ad distinctam bonitatem actus, licet forte non distinguat virtutis habitum. Exemplum est in adoratione, seu latria absoluta, vel respectiva, quæ juxta probabilem sententiam specie differunt in actibus, quamvis in eadem excellentia objecti fundentur: quia adoratio absoluta respicit illam excellentiam in se, et ut intrinsece afficientem personam: respectiva vero solum attingit illam per quamdam habitudinem extrinsecam: atque idem multi existimant de amore Dei et proximi, et de intentione finis, et electione medii

propter bonitatem finis, de quo postea. Atque ad eundem modum idem objectum bonum sub diverso statu, et habitudine propositum, potest variare actum et bonitatem ejus. Sic enim bonum absolute propositum excitat amorem, seu simplicem voluntatem: consideratum vero ut absens, et prosequendum excitat desiderium, et intentionem, ut, in prima secundæ, D. Thomas tractat; et ratio omnium est, quia hæc diversitas sufficit causare diversum modum operandi voluntatis, et ideo respectu actuum induit aliquo modo diversam rationem formalem objecti, de quo latius alibi.

5. *Quoad distinctionem numericam primus dicendi modus.*—*Secundus modus.*—Circa secundum sensum quæstionis de unitate numerica possunt excogitari varii modi dicendi. Primus est tot multiplicari bonitates in actibus, quot sunt objecta materialia distincta. Sed hoc ita absolute sumptum non potest esse verum: quis enim dicat quatuor actus, vel bonitates elicere eum, qui vult, aut quatuor numos argenteos in eleemosynam dare, aut quatuor hominibus subvenire, quod in actibus malis certum est; non enim centum peccata committit, qui centum furari vult. Alius modus dicendi esse potest circa hæc objecta esse unum actum, compositum tamen ex tot partibus, seu bonitatibus partialibus, quot sunt objecta materialia. Sed jam sæpe improbavi hanc compositionem in his actibus, quæ certe maxime est superflua in ordine ad hæc objecta materialia inter se omnino discretata.

6. *Verus modus.*—Dicendum est ergo quando res materialiter diversæ (licet in se sint distinctæ) tamen voluntati simul proponuntur per modum unius objecti adæquati, et sub una ratione boni, tunc tantum esse in actu voluntatis unam numero bonitatem simplicem, et indivisibilem in sua entitate. Probatur, quia hæc bonitas actus est substantialis ejus entitas, et tendentia in objectum: sed tunc voluntas unico impetu, et inclinatione tendit in totum illud objectum per modum unius: ergo realiter est in voluntate unius simplex actus: ergo unica ejus bonitas ex objecto: et confirmatur a sufficiente enumeratione, quia ibi non sunt plures actus, nec compositio ex pluribus partialibus actibus propter rationes factas: ergo est unica simplex entitas actus: ergo est una numero et simplex bonitas.

7. *Corollarium ex dictis.*—Unde infero, quocumque alio modo varietur hoc objectum materiale, sive in toto, sive in parte, variari totum actum voluntatis quoad individuum en-

titatem ejus, et bonitatem, quia in voluntate creata non potest intelligi denuo aliquid velle, quod antea nolebat: aut aliquid non velle, quod antea nolebat, nisi facta aliqua mutatione in ipsa, et in actu ejus: si ergo in objecto, seu re voluta aliqua mutatio fit, necesse est, ut fiat in actu, quia tunc voluntas aliquid de novo vult, vel non vult: ergo fit mutatio in toto actu. Patet consequentia, quia non potest fieri mutatio in parte ejus: non enim habet partes entitativas, ut dixi, neque etiam fieri potest in aliquo modo, vel ratione formali accidentali, quia per suam entitatem simplicem, et individua tendit in totum illud objectum: necesse ergo est, ut mutatio fiat in toto actu, et hoc sensu dici potest bonitatem actus, quoad unitatem numericam sumi, seu pendere ex objecto materiali eodem numero, nam ab illo determinatur voluntas ad hunc singularem actum adjunctis aliis conditionibus: oportet autem per objectum materiale intelligere non unam tantum, vel alteram rem, sed totum illud in quod per modum unius adæquatæ materiæ voluntas hic et nunc versatur, ut magis declarabitur ex his, quæ sequenti disputatione dicemus.

## DISPUTATIO V.

## DE BONITATE ACTUS INTERIORIS EX CIRCUMSTANTIIS.

Constituimus hic, ut sæpe admonui, circumstantias a fine extrinsecas, de quo, disputatione sequenti, et supponimus omnes distinctiones circumstantiarum supra traditas, tr. 2, disp. 5. Præcipue tamen in tota hac disputatione advertendum est circumstantias, quæ possunt ad bonitatem actus interioris conferre, interdum sumi posse ex parte objecti, interdum ex parte ipsiusmet actus interioris, et priores vocabo semper objectivas, posteriores vero circumstantias ipsius actus.

## SECTIO I.

*Utrum actus interior, ut sit simpliciter bonus, requirat bonitatem aliquam ex circumstantiis.*

1. Ratio dubii pro parte affirmativa est, quia, teste Aristotele, humanus actus versatur circa singula: ergo non potest esse humanus actus ex objecto bonus, nisi habeat in particulari circumstantias bonas, quia bonum ex

integra causa: ergo non potest esse simpliciter bonus, quin a circumstantiis habeat bonitatem: sicut enim non potest esse substantia creata sine accidentibus; ita neque actus humanus sine circumstantiis: sicut ergo non potest esse substantia perfecta, nisi ab accidentibus sibi debitis habeat perfectionem aliquam, ita neque actus voluntatis potest esse simpliciter bonus, nisi a propriis circumstantiis habeat bonitatem. Unde multi theologi actum ex objecto bonum, et carentem bonitate circumstantiarum, dicunt non esse simpliciter bonum, neque honestum, sed tantum secundum quid, scilicet ex genere, ut loquitur Magister, in 2, d. 30, et ibi Bonaventura, dubio 5, circa textum, et ibi Scotus, et d. 40, et quodlib. 18, Gabriel ibi et in 3, dist. 23, Henricus, quodlib. 13, q. 10. Favet D. Thomas 1, 2, q. 28, art. 4.

2. In contrarium autem videtur fieri non posse, ut actus interior habeat bonitatem ex circumstantiis, nam D. Thomas 1, 2, q. 19, a. 2, docet habere illam ex solo objecto. Quod potest etiam ratione probari, quia actus interior non habet a circumstantiis substantialem, et (ut ita dicam) entitativam bonitatem, quia hæc tota sumitur ex habitudine actus ad objectum, nam tota entitas actus interioris habet hanc habitudinem. Rursus neque potest habere a circumstantiis augmentum hujus bonitatis, quia neque hoc augmentum potest esse extensivum, quia hujusmodi genus augmenti non habet locum in actibus internis, ut sæpe dixi, neque etiam intensivum, quia hoc ad summum salvari potest in circumstantia *Quomodo*, quæ se tenet ex parte actus ipsius, non vero in aliis circumstantiis, quæ non intendunt ipsum actum; præsertim in circumstantiis objectivis, ex quarum additione poterunt quidem multiplicari actus interni, per quos voluntas in illas circumstantias tendat, non tamen videtur augeri bonitas unius et ejusdem actus. Nec denique potest hoc augmentum esse solum per denominationem extrinsecam, et moralem æstimationem, quia, ut supra dixi, hæc denominatio in præsentem solum habet locum per informationem, seu imperium unius actus ab alio. Hic autem modus denominandi pertinet ad circumstantiam finis, non vero ad alias, de quibus nunc agimus.

3. *Prima assertio negativa.*—*Præmittitur triplex membrum assertionis.*—Dicendum primo, ut actus voluntatis sit bonus simpliciter, non necessario requirit objectivas circumstantias proprias, a quibus accidentalem bonitatem,

seu augmentum bonitatis accipiat. Declaratur et probatur, nam, ut Scotus notavit, locis citatis, et Gabriel, in 2, d. 40, notab. 1, Conradus, q. 19, art. 2. Aliud est actum non habere circumstantias malas: aliud vero habere conditiones debitas tali actui et objecto ad honestatem ejus: aliud denique habere proprias circumstantias bonas, a quibus accipiat augmentum bonitatis. Primum est absolute necessarium, ut actus sit bonus simpliciter: non quia inde actus habet aliquam bonitatem, quia ex negatione actus mali, vel circumstantiæ malæ præcise sumpta, nulla bonitas accrescit, sed quia *bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu*. Unde fit, illud etiam, quod secundo loco est positum esse necessarium, ut actus interior sit bonus simpliciter, tamen, ut supra dictum est, conditiones illæ, quæ sunt simpliciter necessariae ad honestatem objecti, non sunt circumstantiæ, sed pertinent ad specialem, et specificam honestatem: et ideo quamvis ex talibus conditionibus objecti accipiat honestatem: illa non potest dici ex circumstantiis sumpta, sed ex objecto.

4. *Assertio probatur quoad tertium membrum in quo procedit.* — Jam ergo probatur conclusio, quæ proprie procedit in tertio membro supra posito. Primo inductione: nam ut actus sit bonus, necesse non est ex *tempore*, aut *loco* habeat specialem aliquam conformitatem, sed satis est, quod in his circumstantiis nulla sit deformitas, aut conditio improporcionata actui: et idem facile intelligitur in circumstantia, *quis, circa quid, et quibus auxiliis*, nam neque in persona operante, neque circa quam fit operatio, neque in instrumento actionis, necessaria semper est hujusmodi specialis conditio specialiter aliquid conferens ad bonitatem, præter id quod est necessarium simpliciter ad essentiam actionis. In circumstantia autem *quid, et quo modo* facilius, ac frequentius repetitur aliquod, quod possit conferre ad augmentum bonitatis, quia quantitas objecti sæpe recipit magis, et minus, et similiter modus actionis: tamen neque hoc est simpliciter necessarium, ut patet de actu circa objectum omnino simplex, qualis est amor Dei. Item in aliis actibus possit intelligi minima quædam materia, aut determinatus operandi modus simpliciter necessarius ad honestatem actionis, qui jam non habet rationem circumstantiæ, sed conditionis essentialis. Et hinc est facilis ratio conclusionis; quia cum hæ circumstantiæ sint præter rationem objecti, nihil repugnat dari objectum nudum, et

absque ulla ex his circumstantiis: ergo si voluntas circa illud versatur, habebit bonitatem ex objecto absque bonitate ex circumstantiis; ergo facit actum simpliciter bonum. Patet consequentia, quia talis actus habebit bonitatem specificam sine ulla malitia; quia licet circumstantiæ tales sint, ut non dent bonitatem, possunt tamen esse impertinentes, quæ non dent malitiam; ergo relinquunt actum simpliciter bonum. Et ita non procedit contra hanc assertionem, prior ratio dubitandi, neque auctores ibi citati loquuntur in particulari de actu interiori, sed in communi, vel de exteriori: quod si loquantur de interiori, intelligendi sunt, quando deest actui aliqua conditio necessaria ad honestatem simpliciter: quod vero fieri possit, manente eodem actu interiori, postea dicemus.

5. *Secunda assertio.* — Dicendum secundo, interdum posse actum interioriorem habere aliquam bonitatem ex circumstantiis objectivis proprie sumptis: quamvis respectu ejusmodi actus semper induant rationem objecti individualis (ut sic dicam). Prior pars est communis sententia, et per se clara, nam certum est velle dare centum in eleemosynam, esse meliorem actum, quam velle dare decem. Quod augmentum bonitatis non est de essentia specifica talis actus, et sumitur ex circumstantia *Quid*, et idem est in aliis: ratio est, quia ex hujusmodi circumstantiis potest objectum fieri dignius, et conformius rationi: ergo, et actus poterit inde habere majorem bonitatem, quam ratio specifica præcise sumpta postulet. Confirmatur, nam hac ratione duo actus ejusdem speciei ex objecto possunt esse inæquales in bonitate stante eadem intentione, et libertate ex parte operantis, provenit ergo illa inæqualitas ex circumstantiis objecti. Posterior autem conclusionis pars sumitur ex D. Thoma citato in posteriori ratione dubitandi n. 2, et illam etiam ad summum probat ratio ibi facta, quæ nunc sufficet, quia major intelligentia hujus partis pendet ex sectione sequenti, n. 8, ubi explicabimus duo alia dubia, quæ hic peti possunt, scilicet, quid fit in actu voluntatis hæc bonitas sumpta ex circumstantiis: et an sumatur tantum hujusmodi bonitas ex circumstantiis augmentibus bonitatem intra eandem speciem, vel etiam ex iis, quæ addunt novam speciem bonitatis.

6. *Tertia assertio.* — Ultimo dicendum in actu interiori semper reperiri aliquam circumstantiam ex parte ipsius actus, quæ conferat illi bonitatem aliquam. Hæc conclusio

præcipue verificari potest in circumstantia *quomodo*, nam semper in actu aliqua est intensio, ratione ejus habet actus aliquam bonitatem, quæ potest dici accidentaliter, quatenus sine illa posset servari illa species. Solum posset quis fingere dari minimum in intensione hujusmodi actus, et consequenter in tali actu minimo, nullam esse specialem bonitatem ex hac circumstantia, sed fortasse neque physice verum est, vel saltem non moraliter, quod nobis est satis. Potest autem hinc colligi ejusmodi bonitatis augmentum non oriri ex ipsa ratione bonitatis, sed solum ex naturali modo operandi ipsius voluntatis, quæ licet libere operetur, tamen supposito, quod operari vult, nunquam adhibet minimum conatum. Ideo dici solet de circumstantia *quando*, prout spectat ad intrinsecam durationem ipsius actus, quod eadem proportionem explicandum est. Quomodo autem hæc circumstantia augeat bonitatem, dicemus infra, quia longiorem petit quæstionem. De aliis autem circumstantiis, non solum necessarium non est, ut augeant bonitatem ex parte actus interioris, sed etiam raro contingit, ut, in sectione 3, latius patebit.

Ad rationes dubitandi satis patet ex dictis.

## SECTIO II.

*Quomodo in voluntate esse debeant circumstantiæ objectivæ, ut conferant bonitatem actui interiori, et qualis sit illa bonitas.*

1. *Certum in hac questione circumstantias debere esse voluntarium.* — Certum est, ut circumstantia conferat bonitatem, necessarium esse, ut sit voluntaria. In hoc enim omnes doctores conveniunt, quia tota honestas humani actus pendet ex voluntate, et ideo, quod voluntarium non est, non potest dare, neque augere bonitatem ipsius *voluntarii*. Item mala circumstantia objecti non dat malitiam voluntati, nisi sit voluntaria: et ideo ignorantia invincibilis excusat, ut hic D. Thomas, ad tertium, docet: ergo multo magis requiritur hoc voluntarium ad bonitatem. Patet consequentia: quia bonum est perfectius, et integram causam ad perfectionem requirit: et quia sicut efficiuntur mali voluntate, ita et boni saltem loquendo de bonitate actuali.

2. *Dubium vero quo genere voluntarii.* — Difficultas autem est, quale esse debeat hoc voluntarium: an scilicet sufficiat, aut *indirectum*, aut *voluntarium in alio*, vel certe requi-

ratur *voluntarium directum*, et in se, ita ut circumstantia bona non augeat bonitatem actus interioris, nisi in se sit prævisa et intenta. Aliquibus enim videtur nimis rigorosum hoc posterius requirere: et ideo existimant sufficere quodcumque voluntarium: quod potest probari primo, quia si quis voluntarie omittat actum contrarium præcepto, etiamsi id directe non velit positivo actu, aliquam laudem meretur: ergo illud voluntarium indirectum sufficit ad aliquam bonitatem moralem: ergo similiter sufficere poterit in circumstantia objecti. Primum antecedens patet ex illo Ecclesiastici 31: *Qui potuit transgredi, et non est transgressus*: hoc enim aliquam laudem continet, et potest fieri sine positivo actu, nam si quis passus injuriam a proximo, et tentationem patiens de sumenda vindicta, sciens et videns se se contineat per solam suspensionem actus, satis voluntarie implet præceptum, et non parvam difficultatem vincit: est ergo ibi aliqua bonitas cum solo voluntario indirecto. Secundo, quod saltem sufficiat voluntarium in alio, videtur exemplo declarari, nam si quis prævideat ex actione sua, verbi gratia, lectione, fore consequendum magnum animarum fructum, et cum hac scientia simpliciter velit illam actionem, etiam si directe non intendat illum fructum: nihilominus illa voluntas erit melior, quia re vera est virtualis voluntas illius effectus: nam si effectus malus, id satis esset, ut virtualiter volitus censeretur: cur ergo non erit idem de effectu bono? Item quia, moraliter loquendo, ille effectus voluntati, et actioni meæ tribueretur: ergo illa voluntas ratione talis effectus erit digna majori laude, quia unumquodque bonum, eo modo quo volitum est, confert ad laudem et honestatem. Tertio, quia alias nunquam poterit actus interior a circumstantiis mutantibus speciem habere bonitatem: quia si illæ circumstantiæ sint per se, et directe intentæ, non dabunt bonitatem priori actui, sed novum actum constituent, juxta principia posita disputatione præcedente: ergo si non sufficit voluntarium indirectum, nullo modo poterunt dare bonitatem priori actui. Consequens autem est contra communem modum sentiendi omnium, et præsertim contra divum Thomam 1, 2, quæst. decima octava, art. decimo ad tertiam, ubi dicit circumstantiam interdum constituere actum in specie boni et mali. Item, quia jejunium factum ex voto, censetur melius simpliciter, et similiter voluntas illius, cum tamen illa circumstantia mutet speciem. Denique,

quia circumstantiæ mutantes speciem, dant malitiam actui interiori; ergo et bonitatem, quia privative opposita versantur circa idem.

3. *Prima assertio contra præcedentem sententiam.* — Contraria tamen sententia multo magis probatur. Et primo statuo circumstantiam objectivam, ut conferat bonitatem actui, debere esse præscitam directe et consideratam, non tantum materialiter, ut talis est, sed etiam formaliter in quantum aliquo modo honesta est, vel ad honestatem confert. Probatur, quia nisi sit, ita considerata, nullo modo poterit esse voluntaria, ut est honesta, quia *nihil volitum, quin præcognitum*; ergo nec poterit dare honestatem actui interiori. Probatur ex fundamento posito in initio sectionis: et quia hæc circumstantia non concurrat ad bonitatem actus, nisi cum objecto, et aliquo modo per modum objecti. Dices satis esse, quod potuerit considerari, licet non fuerit actu considerata, sicut in malis dici solet: sed hoc non recte dicitur, quia ex his, quæ possumus præcise non laudamus, neque habemus bonitatem moralem, sed ex his, quæ agimus: unde posse considerare bonum, et non considerare, potius pertinet ad imperfectionem, quam ad bonitatem: quare negatio actionis, ut sic et præcise sumpta in universum non affert bonitatem, ut infra dicam: multo tamen minus quando actio, quæ negatur, vel est bona, vel de se est principium bonitatis, ejusmodi est ipsa consideratio. Confirmatur ex differentia inter bonitatem et malitiam: malitia enim interdum imputatur propter inconsiderationem, quia ipsa inconsideratio est, etiam culpabilis: at vero inconsideratio circumstantiarum, et bonitatis earum non est laudabilis, sed vel est mala, vel ad summum indifferens, quando non est simpliciter necessaria ad prudenter judicandum: ergo non ita potest sufficere inconsideratio ad bonitatem, sicut ad malitiam. Præterquam quod cum ad malitiam sufficiat defectus, recte intelligitur ex defectu oriri posse, qualis est inconsideratio: bonitas autem requirit causam perfectam, quia in perfectione consistit: et ideo inconsideratio honestæ circumstantiæ, ut sic, non potest ad honestatis augmentum deservire.

4. *Secunda assertio.* — Dicendum secundo. Ut circumstantiæ objecti conferant actui interiori bonitatem, necesse est non solum, ut sint prævisæ, sed etiam ut sint in se aliquo modo volitæ et intentæ quatenus honestæ sunt. Hoc sumo ex D. Thoma, et aliis supra citatis, ad probandum objectum honestum non con-

ferre actui bonitatem, nisi sit volitum et intentum, ut tale est, et alia D. Thomæ testimonia infra referam. Prima ratio conclusionis sumitur ex dicto principio, quod objectum honestum debet esse, ut sic, intentum, ut actus ex tali objecto sit honestus: ergo similiter circumstantia objecti honesti debet esse, ut sic, intenta, ut actus ex illa habeat honestatem. Probatur consequentia tum a paritate rationis: tum etiam, quia hujusmodi circumstantia non confert actui interno honestatem, nisi in quantum auget bonitatem objectivam totius objecti, atque ita pertinet ad integritatem objecti individualis, ut supra dicebam.

5. Secunda ratio, quia actus interior voluntatis duobus modis intelligitur habere bonitatem, vel malitiam a circumstantiis. Primo realiter per physicam tendentiam, vel habitudinem actus ad talem circumstantiam. Secundo solum per quamdam moralem imputationem, quomodo dicitur occidere, qui non defendit, cum teneatur: sed bonitas non attribuitur actui per solam imputationem: ergo per veram et realem tendentiam, et habitudinem voluntatis ad talem circumstantiam: hæc autem habitudo non est, nisi per actum quo voluntas velit illam circumstantiam, vel objectum: et hoc ipsum est illam in se directe intendi. Minor, in qua est vis argumenti, sic declaratur, et probatur: nam duo sunt, quæ possunt attribui moraliter voluntati, unum negatio, vel omissio: aliud positivus actus. Primum non sufficit ad bonitatem, quia in sola negatione non consistit bonitas, quia nullam perfectionem, ut sic, affert. Secundum vero non attribuitur moraliter voluntati: nisi quando intercedit præceptum aliquod, ratione cujus tenebitur homo aliquid agere, vel omittere, ne alius effectus sequeretur, ut constat ex supra tractatis de voluntario, quod habet locum in malis, non in bonis: quare mali effectus imputantur homini hoc modo, non tamen boni: oportet ergo, ut in se sint voliti, ut homo illos efficiendo, fiat bonus: et idem est de cæteris circumstantiis.

6. Tertia ratio, quia in his circumstantiis non sufficit *voluntarium* mere indirectum, quod est per negationem actus voluntatis, cum posset illum habere stante advertentia: quia hæc carentia actus, ut sic, non ponit perfectionem in voluntate: unde nec bonitatem: nam hæc duo convertuntur: item quia ex vi talis negationis actus, ad summum potest esse indirecte voluntaria carentia alterius actus materialiter sumpta. Hoc autem non satis est ad honesta-

tem voluntatis, quia circa illudmet materiale objectum posset versari voluntarium indifferens, vel etiam malum: ergo illud voluntarium indirectum, ut sic, non potest afferre bonitatem formalem. Exemplo declaro vim argumenti, nam non occidere proximum, licet de se possit esse objectum bonum, tamen materialiter sumptum potest etiam amari actu indifferenti, vel malo, ut si quis vellet non occidere proximum ex timore infamiæ, est actus ex objecto indifferens: et ex alio motivo malo, erit malus: ergo indirecte velle hoc objectum per solam negationem actus voluntatis, de se non est magis determinatum ad hoc, quam ad illud motivum: ergo solum intelligitur versari circa illud materiale, ut sic: ergo illud ut sic, non sufficit ad actualem honestatem, quare egregie D. Thomas 2, 2, quæst. 69, art. 1, ad 2, dixit, illam partem justitiæ, quæ est *declinare a malo*, non esse mere negative, aut privative intelligendam, sed prout includit actum voluntatis positivum, quo aliquis vult non facere malum, quia *per solam* (inquit) *negationem mali actus vitabit quis penam, nihil tamen merebitur, nec justitiam aut bonitatem habebit*. Hujusmodi ergo *voluntarium* indirectum per negationem actus non sufficit ad honestatem.

7. Rursus neque etiam sufficit *voluntarium in alio*: quod etiam dici solet *voluntarium indirectum* per actum positivum terminatum tantum ad aliud objectum directe volitum: quia hoc etiam *voluntarium indirectum* nunquam imputatur, nisi ratione alicujus privationis actus, quæ deberet inesse, et non inest, scilicet, quia deberet voluntas non versari circa unum objectum, ne aliud sequeretur: quod, ut dixi, non habet locum in bonis. Deinde, quia velle objectum in se habens honestatem, non propter honestatem, sed propter delectationem, non est satis ad honestatem actus, ut sæpe dictum est: et tamen ibi videtur honestas volita in alio, scilicet in ipso objecto materiali: ergo si ibi non sufficit, multo minus in aliis effectibus, vel circumstantiis. Vis argumenti patet recepto exemplo; nam si conjux velit actum maritalem ob solam delectationem, ibi videtur virtute velle legitimam procreationem filiorum, et tamen ille actus nullam habet honestatem ex objecto, sed potius malitiam venialem; ergo idem est de reliquis. Præterea potest in hoc membro fieri eadem proportionalis ratio, quæ in priori in num. præced., quia hæc voluntas indirecta in alio tantum materialiter attingit illud, etiam se-

cundum moralem attributionem, quia ex se nullum determinat motivum: ergo, ut sic non sufficit ad honestatem specialem inde sumendam. Ultimo, quia hujusmodi effectus, vel circumstantia volenda in alio, est in se directe prævisa, vel non: si non, jam ostensum est, non posse dare honestatem: si vero est directe prævisa, interrogo cur non sit directe prævisa, interrogo cur non sit directe volita. Nulla certe ratio reddi potest, nisi quia voluntas non vult: cur ergo in hoc dicitur voluntas bene facere, aut cur hoc deserviet illi ad augmentum bonitatis.

8. *Quid sit bonitas ex circumstantia in actu interiori.* — Ex his intelligitur, quod, præcedente sect., in fine, n. 5, in hanc remisi, quid scilicet sit hæc bonitas ex circumstantia in actu interiori: nam qui putant sufficere ad hanc bonitatem *voluntarium indirectum*, solum dicunt consistere in quadam morali imputatione, non quod aliquid ponat in actu. Nobis necessario dicendum est, esse ipsam realem entitatem actus, ut directe, et realiter terminatam ad talem circumstantiam: quia sine hac reali et physica tendentia non potest intelligi talis circumstantia vere et realiter volita, sed tantum permissa: sola autem permissio non facit bonum permittentem, quia nec permissio mali, si præcise maneat in ratione permissionis, constituit malum permittentem, nisi quando intercedit aliquod præceptum prohibens talem permissionem, vel præcipiens impedire effectum, vel circumstantiam, ratione cujus præcepti illa permissio transfertur in rationem *voluntarii indirecti* secundum communem æstimationem moralem et imputationem, quod non habet locum in bonis, et ideo oportet, ut bonitas ex circumstantia participetur a voluntate, ut volente directe per actualem et realem tendentiam in illam.

9. *An dicta bonitas re distinguatur ab ipso actu interiori.* — Ulterius vero interrogari potest primo, utrum illa realis tendentia sit aliquid in re distinctum a substantia actus tendentis in objectum. Aliqui enim existimant esse vel modum realem physicum, vel entitatem partialem. Quod facile impugnari potest ex principiis positae disputatione præcedenti. Dicendum ergo est non esse aliquid distinctum in re, sed esse ipsamet entitatem actus indivisibilis, quæ talis est ut in individuo non solum attingat objectum nudum, sed etiam talem circumstantiam ipsum afficientem. Quod potest intelligi duobus modis. Primo, quod actus ita directe attingat utrumque, ut illa respiciat quasi duo partialia objecta æque primo